

anno 1938 erecta est expositura paroecialis seu vicaria perpetua in loco Borovo pro operariis fabricae »Bata«. Expositura facta est separatione dicti territorii a religiosa parochia de Vukovar, a qua et deinceps semper dependens remanebit. Haec quoque, obtentis obtainendis facultatibus, Franciscanis hujus provinciae in perpetuum tradita est ac ab ipsis acceptata.<sup>21</sup>

Adhuc duas parochias saeculares fratres hujus provinciae administrant, i. e. parochiam Maja, et Bosanska Kostjnjica, quam provident de sua residentia Hrvatska Kostajnica.<sup>22</sup>

Sic ergo provincia SS. Cyrilli et Methodii hodie 13 parochias regulares respectivis conventibus et provinciae incorporatas habet, atque duas alias saeculares de suis sodalibus providet.

#### B. De provincia S. Hieronymi in Dalmatia

Haec provincia ejusque conventus originem ducunt cum ab antiquissima illa provincia Sclavoniae, quae jam prima medietate saeculi XIII existebat<sup>23</sup> et a. 1298 nomen in provinciam Dalmatiae s. Hieronymi commutaverat,<sup>24</sup> tum a Vicaria Bosnae, cuius plures conventus in Dalmatia siti, a gentibus sic circumstantiis temporum, huic provinciae obvenierunt.

Etenim, anno 1464 Pius Papa II unionem provinciae Dalmatiae et Vicariae Bosnae fieri jussit;<sup>25</sup> quae quidem unio parum durabat. Fratres enim Ragusini velis remisque agebant de separatione a Bosnensibus et aliis Dalmatiis, immo et quatuor conventus Vicariae Bosnae (Slano, Umblam,

<sup>21</sup> Arch. prov. in Zagreb. Documentum ex parte Ordinariatus Dalmatiensis de die 28 Aprilis a. 1938 Nro. 818; facultates impetratae ad recipiendam exposituram paroeciale ibidem. Attamen, ob certas difficultates, fratres nondum ibi ecclesiam et hospicium aedificarunt. Schematismus de a. 1940, 87.

<sup>22</sup> Čapkun, Neispravno mišljenje o bosansko-hercegovačkim franjižupama, in Nova Revija, XVIII (1939), 434 et nota 22.

<sup>23</sup> Cf. supra p. 20ss.

<sup>24</sup> Rode B., De antiquitate Provinciae Sclavoniae O. F. M. nunc Dalmatiae, in AFH, I (1908), 506.

<sup>25</sup> Fermendžin, Acta Bosnae, 260—262 n. 1089.